

Reverendissime et Ill/me Princeps, Cardinalis amplissime.

Non possum ego desinere esse impudens, dum non desinit juvenus esse pie imprudens, docta nunquam ced ere, donec sui se voti factam esse videt compotem. Illustris hic juvenis Philippus Fridericus

5 Bruner, Baro Austriacus, discedere Bononia noluit ad almae Urbis Collegium Germanicum, nisi meis ad Ill/mam Celsitudinem V. litteris instructus. Rogatus causam, aliam non ingeminat, et quasi jurato deponit, nisi immensum quendam et vinci nescium aestum, eam cominus videndi, et vel ad minimum temporis spatium, ab ore ipsius penden-  
10 di, de cujus celebritate nominis, puer, adolescens, juvenis, domi forisque, et maxima et plurima semper audisset. Haec et sola et tota scriptionis summa, ipsiusque mecum perpes colluctatio. Ergo aut juvenem et iratum et mihi inimicum facere debui, aut has ad Ill/mam C.V. mittere, orans obtestansque supplex ne mihi in has pedicas ac  
15 labyrinthos conjecto succenseat irascaturque nimis. Paternam reprehensionem non formido, severiorem tantum censuram uti merito pertimesco, ita humillime deprecor, et sub sacrae ejus purpurae umbra, dum transeat indignatio, reverenti vultu me abscondo. Et quando toties repetitis litteris, non possum non esse Ill/mae C.V. molestis-  
20 simus, et tamen auctoritas potentium illuc me cogit, infimis precibus rogatam eandem velim, ut mihi (si forte respondere gratiosissime dignabitur) disertis verbis silentium imponat, de coetero quamquam commendandi; hac enim via, si non omnem, at aliquam certe invidiam declinabo. Offero Ill/mae C.V. pro eximiis ejus in me meri-  
25 tis, terna sacra hac et sequenti hebdomade feliciter exsolvenda. Bononiae Calend. Novembris A° 1617.

Ill/mae et R/mae C. V/rae

/ filius

Servus in X/ro humillimus et devotissimus f

Arch. Vat. Gesuit. 18 fol. 78

Joannes Dannenmeyer Soc. Jesu.

30 R.P. Ferd. Alberus eum nobis hic perpetuo admodum commendatum voluit ob Domini parentis summam qua apud Caesarem valet et Regem Boemiae auctoritatem, qua multum Ordini nostro commodare potest vel incommodare.